DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PATRITIUS HARKAN,

HIBERNUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ωρεων, μάλιϛα τίκτουσι νοσηματα· καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ, ἢ ψυξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ᾽ ἄλλα κατα λογον οὕτως. HIPPOCR.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1801.

ARTHURO FRENCH,

DE FRENCHPARK IN COMITATU ROSCOMMONIENSI,

ARMIGERO, SENATORI,

PATRITIUS HARKAN

S. D.

Tibi, vir eximie, dissertationem hanc, qualiscunque sit, inscribendo, publicum aliquod observantiæ gratique animi ob amicitiam qua familiam meam nunquam non prosequi dignatus es, et maxima quæ in eam beneficia contulisti, testimonium proferre lætor. Quam exiguum verò leveque hoc sit eorum magnitudine habita ratione, nemo me ipso clarius videre potest. De virtutibus, quæ patriæ te carissimum reddunt, quibusque vitam ut civis ac senator ornas, nil dicam, cum longè latéque fulgeant.—Testantur cives Roscommonienses morum integritatem quâ officiis tuis fungeris, humanitatem qua pauperes miserosque protegis, insignem qua in omnes te geris justitiam; ex mentibus eorum nunquam elabetur, quantum tibi omnes debent, quotque per te beneficiis fruuntur; quanta denique mala, quibus lugendis hisce temporibus aliæ premebantur Hiberniæ partes, feliciter, te duce, devitarunt, gratæ posterorum memoriæ demandabunt. Quod diu patriæ decus, amicorum deliciæ, concivium tutamen incolumis vivas, Deum Optimum Maximum obnixe precor.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

CHOLERA:

AUCTORE PATRITIO HARKAN.

DUPLICEM ob caufam de morbo, qui à Graecis χολήρα vocatus eft, hodierno die differere aggrediar. Primo enim, locum effe adhuc Medicis ampliffimum fedulò hunc perfcrutandi, mihi videtur. Quot miferi per terrarum orbem hujufce vi abrepti immaturae morti fuccumbunt, licèt remediis utantur omnibus, à medicis ufque huc excogitatis! Morborum, deinde, quibus humanum afficitur genus, nullus profectò mihi notior effe deberet eo, de quo hîc agitur. Etenim, in

 Italia

Italia optimam mihi ſors obtulit infelices hoc laborantes videndi occaſionem: ego ipſe huic obnoxius ſum, quamquam reverà me nunquam adhuc cholera, prout a noſologis definita, laborâſſe gaudendum mihi ſit: omnes ferè ex mea familia ad eundem maximè ſunt proclives: plures etiam mihi affines è medio iſte ſuſtulit: ac nuper Pater optimus, amantiſſimuſque, cujus memoria dulcis mihi erit, ſacraque per aevum

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus,

qui ſaepiùs decurſu vitae diro hoc morbo crudeliter vexabatur, ineluctabili vi ſuâ tandem aliquando oppreſſus, heu! jacuit, liberos poſt ſe et amicos atro luctu merſos, ploratuque relinquens.

Caeteris ſilentio praetermiſſis, noſologorum maximum in hujuſce morbi definitione, tutò nos ſequi poſſe exiſtimo. Hujuſmodi eſt—"Humoris bilioſi vomitus, ejuſdem ſimul dejectio frequens; anxietas; tormina; ſurarum ſpaſmata." * In hac, inquam, definitione, quae praecipuè notanda fuere ſymptomata complexus

eſt

* Synop. Nos. Method. tom. 2. pag. 240.

eſt Cullenus; quaeque omnia nunquam ferè choleram non comitantur. Noſtrum verùm nunc eſt haec paulò fuſiùs enarrare; breviter attamen, cùm ſaepenumerò jam ab auctoribus tradita, et egregiè deſcripta fuerint.

Contagione nunquam morbum hunc propagari feliciter evenit. In plagis verò calidioribus, et quandoque in hiſce noſtris regionibus, fervida anni tempeſtate ſaevire, plurimiſque frequenter exitialis eſſe ſolet. Niſi id inutile prorſùs ducerem, cùm omnibus jam medicis innoteſcat, ſcriptorum illuſtrium Sydenham, Huxham, Wintringham, Cullen, Lind, Clark, aliorumque plurimorum teſtimoniis hoc confirmarem. Nulla unquam ferè aeſtas vel autumnus elabitur, quo hìc etiam cholera plus minuſve per populum non graſſatur. Si quis fortè ad id videndum curioſior eſſet, libros periodicos Londini praeſertim editos conſulat, in quibus, praeter alia, morbi ſingulis menſibus vel tempeſtatibus cives maximae iſtius urbis afficientes enumerantur. * Anxietas, languor,

* Medical and Phyſical Journal, &c. &c.

guor, ructus, ventriculi ac inteftinorum dolores, haud rarò diem unum vel alterum morbum antecedunt. Plerumque autem impetu ferè incredibili miferos repentè adoritur. Ægros tunc alterni, quandoque verùm fimultanei vomitus et dejectiones, infandis comitantibus torminibus, immanè excruciant. Quod primò ejicitur, ventriculo vel inteftinis naturaliter continetur, poftea tamen, quamvis magna materiae ejectae fit copia, fel potiffimùm effe videtur. Ita hominum, omniumque forfan animantium valetudo à *tubo alimentario* pendet, ut, quotiefcunque quibus fungitur officia turbantur, et corpus totum eâdem ratione plerumque afficiatur. Sed re quidem vera, quàm repentè faepe cholera frangantur vires, omninò mirandum. Nonnunquam enim, aliquas tantùm horas morbo perftante, tenfo jam abdomine, fimulque cum Epigaftrio, quod aegro ipfi ardere videtur, vehementer dolente, cadaveris inftar vultus ejus apparet, artus frigefcunt, debiles, parvi, frequentes ac intermittentes arteriarum pulfus funt, gelidi erumpunt fudores, mortem poftremò, ejus hîc in terris dolorum finem,

omnia

omnia praenunciant. Dum ita ſeſe res habent, ſitis aegrum urget inexplebilis, ac ſimul cum inteſtinis, abdominis, artuumque muſculi abnormi motu afficiuntur. Ægri quandoque, me teſte, de ſurarum ſpaſmo magis, quàm de ullo ferè alio ſymptomate conqueruntur. Sed aliae quoque partes motu hoc abnormi torqueri poſſunt. Haud rarò enim iſchuria, ſingultus, vel omnium etiam corporis muſculorum convulſiones morbo vitaeque finem imponunt. Quamvis triſtitià mens deprimatur, (ac certè nil mirum) aeger tamen rationis uſu ad extremum uſque plerumque fruitur.

Talia morbo prae ſe ferente ſymptomata, modò die primo, nonnunquam immò paucis ſolummodo horis, interdum ſecundo, nunc tertio vel quarto, ac aliquandò etiam quinto, ultra quem rarò evenit, morte arripitur.

Sed non omnes aeque urget cholera. Frequenter enim quae ſupra expoſuimus, tam gravia minimè ſunt; morbuſque brevi paulatim evaneſcit.

Qualis

Qualis de eventu ſua deberet eſſe *prognoſis*, ſymptomatum omnium vehementia, aegroti vires, habitus, aetaſque; medicinae perito indicabunt. Quò minus ante morbi aggreſſum fractae fuerint aegri vires, ac (ne longiores de re tam evidenti ſimus) quò mitiora omnia, quae jam deſcripſimus ſigna, eò magis ſperandum.

Hepar ac inteſtina praeſertim hîc affici, mortuorum diſſectiones nobis demonſtrant. Veſica fellis, ductuſque choledochus ac biliarii mirè quandoque diſtenduntur. Si qua fides Boneto, hepar nonnunquam ſiccum eſſe reperitur *. Ventriculus plerumque felle ſuffunditur; ſimulque cum duodeno potiſſimùm, interna ejus ſuperficies gangraenae ſigna exhibet. Aliquando etiam a loco ſibi propria omnia abdominis viſcera, referente Bartholino, amoventur. ‡

Quæſtio nunc maximi momenti nobis eſt pro viribus ſolvenda, nimirum,

QUÆ

* Bonet. Sepulchret, tom. 2. lib. 3. § de cholera.

‡ Bartholin. Cent. 2. Hiſtor. 81.

QUÆ MORBI HUJUSCE CAUSA?

Magni de hac re Sydenhamii ſententiam, ipſiusmet verbis tradere fas ſit. "Quiſquis autem "cholerae morbi legitimi, *inquit*,* quocum ſo-"la nobis impraeſentiarum res eſt, Phaenomena "ſtudioſè collegerit, fatebitur morbum iſtum, "qui quovis alio anni tempore (*scil. quam menſe* "*Auguſti*) invadit, quamvis ex eadem occaſione "(*hanc paulo ſuperius fructuum horariorum ingeſti-*"*onem eſſe dicit*) prognatum, atque eorundem "ſymptomatum nonnullis ſtipatum, ab hoc no-"ſtro toto caelo diſtare; haud aliter ac ſi in aëre "peculiaris menſis hujus lateat reconditum ac "peculiare quiddam, quod ſpecificam hujuſmodi "alterationem ſoli huic morbo adaptatam, vel "cruori vel ventriculo valeat imprimere." Choleram "fervidiore anni tempeſtate potiſſimùm

"in-

* Thom. Sydenham. Prax. Med. Experim. &c. edit. Lipſiæ 1695, pag. 219.

"infeſtare," antè jam Hoffmannus notavit †. Plurimis aliis ſcriptoribus hoc etiam antiquioribus, quos brevitatis gratiâ omitto, idem probè cognitum fuerat. Illud pariter animadvertens Cullenus, ſupradictae favet ſententiae, ac bilem calore acriorem ſolito reddi, vel talem ut copioſius hepate ſecernatur, minimè dubitat. *

Haec partim vera forſan eſſe, negare profectò nollem. Attamen, hanc non ſolam, imò nec praecipuam morbi cauſam eſſe; eoſque ſcriptores (tantorum hoc dico virorum pace) rem acu non penitùs tetigiſſe, mihi animo attentè id diuque pervolventi videtur. Priuſquam verò ad ea veniam, quae omni quâ decet diffidentiâ proponam; de legibus quibuſdam *Oeconomiae Animalis* generalibus (i. e. alias loquendo, Phaenomenis, inter quae ac ſapientiſſimi omnium Creatoris voluntatem, nullam percipimus cauſam intermediam) quàm breviſſimè loqui, operae pretium duco.

Pri-

† Vid. Oper. Omnium Hoffman. tom. 3.

* Firſt lines, &c. vol. 4. page 44.

Primùm igitur, cuilibet naturam vel è longinquo proſpicienti compertum eſſe debet, corporis robur à muſculorum exercitatione, aliiſque huic admotis ſtimulis plurimùm pendere. Si iſti autem nimii ſint, vires citò exhauriuntur; deficientibus è contrà, nec robur, nec vigor adeſt. Haec duo ergo extrema, inertiam nempe, aliorumve ſtimulorum defectum, atque nimiam incitationem, debilitatem aequè gignere conſtat.

De his ſibi invicem oppoſitis debilitatis cauſis clariſſimè loquitur ſagax veréque illuſtris Cullenus, ut plurimos alios ſileam, centum ferè in locis operis ſui eximii de Medicinae Praxi. De Dyſpepſia tractans, ut quoddam afferam exemplum, primam evidenter notat: alteram verò de Epilepſia ſcribens, haud obſcurè indicat. Sufficeret etiam quod de Syncope eleganter tradit perlegere. Morbum illum à *vi nervoſa minuta*, deficiente nempe in cerebro ſanguine, interdum provenire putat. * (Ecce debilitatem à defectu ſtimuli: ac etiam ſi ponatur, cerebrum à ſanguine

‡ Firſt lines, &c. vol. 3. page 231.

fluidum nervosum secernere, idem prorsus erit quoad rem nostram). Sed et diversam quandoque habere causam inferiùs dicit. Haec enim verba habet. † "And it seems to depend on the "same cause, that the voluntary motions, which "always require an unusual increase of exertion, "occasion fatigue, *debility*, and at length irre-"sistible sleep.—From this law therefore of the "nervous power, we may understand why a "sudden and violent exertion of the energy of "the brain is sometimes followed by such a di-"minution of it, as to occasion a syncope &c." (Et en debilitatem à nimia excitatione). Sed hoc ad rem nostram parùm quidem spectans, obiter solùm noto; ut debitum nimirum tanti viri memoriæ honorem tribuam. Aliter enim in hujuscemodi rebus, de quibus naturam ipsam consulere possumus, non ideò veræ scientiæ amator, quasi *imitatores servum pecus*, sententiam aliquam amplecti vel rejicere debet, quia hic, ille, aliusve quilibet scriptor magnus *ita dixit.* Ante

oculos

† First lines, &c. vol. 3. page 233.

oculos ſemper habendum et nos intellectu donari, altâque reponendum mente aureum illud Horatii,

Nullius addictus jurare in verba magiſtri,

Quod ſic appoſitè Anglicus noſter Pope imitatur,

But aſk not to what Doctors I apply,
Sworn to no maſter, of no ſect am I.

Secundò, non minus certum eſt, quod ſi ad muſculum quemvis jam debilitatum, ſtimulus non apprimè ejuſdem viribus aptatus admoveatur, motus hujus ſtatim abnormis devenit atque convulſivus. Muſculi ſani ac robuſti proprium omninò eſt aptè, ſirmiterque contrahere; debili verùm excitato, tremuli ac incerti perſiciuntur motus.

Verba quædam Medici inter Tranſatlanticos inſignis Benjamini Ruſh, quem honoris causâ nomino, notatu digna ſunt. "It will be neceſſary, *inquit*, "to add in this place, that indirect, like direct "debility, when of ſhort duration, never fails to "produce ſuch a degree of excitability, or vi"bratility (if I may be allowed to coin a word)

"in

"in the blood-veſſels, as to diſpoſe them to be "thrown into exceſſive action by the leaſt in- "creaſe in the force or number of the ſtimuli "which act upon the human body *." Ex lege hac generali, maximi quidem in morbis curandis momenti regula ſponte fluit, nimirum, ut juſta vis ſeu robur muſculo cuivis debilitato reſtituatur, ſtimulos (pro diverſa debilitatis ſpecie) *gradatim* augendos vel minuendos eſſe.

Tertiò, Phyſiologi omni ævo, maximam eſſe inter homines differentiam pro diverſis eorum habitibus obſervârunt. Sua eſt cuique ἰδιοσυνκράσις, quâ certis potius quam aliis morbis obnoxius evadit. Pauci admodum vel nemo forſan et animo et corpore perfectus omni ex parte dici poteſt: nemo, ſcilicet, cui organum eſt nullum infirmum, vel in aliqua re deficiens. Memoria quoque tenendum, ſingulos plerumque ejuſdem familiæ ita naturâ conſtitui, ut in eodem deficiant.

Quartò

* Inquiry into the cauſes and cure of ſore legs.— Medic. Inq. vol. 2. p. 282.

Quartò deniquè, experimenta à viris celeberrimis instituta, *vim* seu *energiam nervosam* (à qualicunque hæc pendeat substantia, si reverà à substantia vel materia quadam, et non à lege tantùm Creatoris: rem enim tenebræ densissimæ operiunt) à cerebro primitùs ortum ducere, luculenter demonstrant. Quicunque verùm toto animo morborum phænomena scrutatur, ac *naturam* non *tamquam è præalta turri despicit*, agnoscere cogetur, partes quasdam corporis nimiùm, sæpè aliasque simul minus æquo excitari. Memoriæ immortalis, atque miri certe ingenii medicum, id nunquam fieri posse asserere, nequaquam me latet. Attamen, hìc sicut aliis quibusdam in locis hunc errâsse videtur. Fac exempli causâ, ut in cujuslibet oculorum retinas ne radius lucis per duas tresve hebdomadas incidat. Si eum tunc temporis fulgenti meridiano soli subitò exponas, hunc ferre nequit ac penè obcæcatur. Quare? Quia tanta procul dubiò lucis intromissæ copia nimis omninò nunc oculos stimulat, qui ex ejusdem stimuli defectu debilitate maxima laborârunt. Nihilominus, hoc eodem tempore

tempore cæterum corpus ita *balneo*, *vino*, *venere* ſtimulari poteſt, ut debilitas a nimia excitatione inducatur. Plurima alia hujuſmodi exempla, ſi opus eſſet, afferre poſſem.

His hucuſque præmiſſis, quæ cholerae mihi cauſa eſſe videtur modò proponam.—Suprà jam notatum eſt, morbum hunc in calidis regionibus potiſſimùm, annique fervida tempeſtate hominibus eſſe infeſtum. Jam verò, medicus certè nullus ignorat, quàm potens ſit ſtimulus calor intenſus ad totam corporis ſuperficiem admotus. Unicuique etiam haud minus manifeſtum eſſe debet ex languore ac laſſitudine, quam omnes ferè calidiſſimis anni menſibus experimur, hunc nimium ſtimulando debilitatem tandem inducere. Quicunque in regionibus Auſtralibus, vel æquatori hâc noſtrâ propioribus fuit, id optimè quidem, propriâ edoctus experientiâ, ſcit. Dum ita verùm ſe habet maxima corporis pars, ductum alimentarium etiam ac *ſystema hepaticum*, in iis præſertim qui choleræ obnoxii ſunt, debilitate graviter laborare, nullus eſt dubitandi locus. Attamen, quod hæc debilitas ab altera oriatur

causa,

causa, actionis nempè muscularis defectu, ex sequentibus, ni fallor, clarè apparebit.

Tres mihi videnter esse præcipui, hujus debilitatis fontes, (i. e. quatenus ad rem nostram spectant; plurimi enim alii adduci possent:) alvus nimirum adstricta, constitutio intestinorum peculiaris, viriumque cæteri corporis exhaustio.

Alvi astrictio quàm sæpissimè morbum de quo agimus, præcedit. Actionis autem intestinorum muscularis, seu motûs eorum peristaltici diminutio citò (ex dictis) ea debilitet necesse est.

Alteri etiam causæ debilitas hæc frequenter tribuenda. Multi enim, talem à natura constitutionem corporis sortiti sunt, ut stimulus paulò major justo actionem eorum abnormem atque convulsivum statim excitet. Talis, exempli causà, pater meus fuit, talis ego ipse, talesque sunt mei consanguinei. Quod à congenito id intestinorum statu debili pendeat, quodque non melius status hic mutari possit, quam (ut infrà dicemus) justam eorum actionem vel motum promovendo, indubium prorsus est. Nihilominus, si cuivis *irritabilitas*, *mobilitas*, vel alia quælibet vocabula magis

arrideant,

arrideant, quam *debilitas ex defectu actionis*, nil quidem objiciam. De rebus enim, non verbis, quæ (ut Logici loqui amant) rerum tantùm signa sunt, disputare debemus.

Tertiam debilitatis intestinorum causam maximè esse communem puto. Morborum phænomena clarissimè sæpe ostendere, partes quasdam corporis plus, aliasque eodem tempore minus æquo excitari, superiùs diximus. Haud minus autem evidenter hæc mihi videntur comprobare, quod, eâdem ratione quâ energia seu vis nervosa in partibus quibusdam corporis exhauritur, et in alia quadam æquè interdum minuatur. Attamen, observare oportet, ex illo nequaquam sequi, eâdem ratione, quâ vis nervosa in quibusdam minuitur, in aliis partibus augeri. Hoc nixus principio, pro certo quidem teneo, debilitatem illam, quâ ii præ cæteris, qui choleræ obnoxii sunt, æstivo, vel autumnali tempore tam sæpè afficiuntur, vis nervosæ cæteri corporis exhaustioni tribuendam esse. Hæc enim, talis est, ut vim illam a cerebro minus justo ad intestina derivari verisimillimum appareat.

Quare,

Quare, cum ea inteſtinorum debilitas, quæ choleram antecedit, nunquam ferè niſi hāc tempeſtate occurrat, experientia conſtare videtur, tertiam hanc cauſam adeò univerſalem eſſe, ut nec alvi aſtrictio, nec peculiaris corporis habitus, ſi hæc deſit, illam producere plerumque valeant.

Alvi aſtrictio haud rarò effectus potiùs quàm cauſa debilitatis dicenda. Primùm enim, calore ab inteſtinis ad ſuperficiem verſis humoribus, horum motus periſtalticus, conſueto deficiente ſtimulo, tardior ita fit. Poſtquam porrò nimio caloris ſtimulo vis nervea cæteri corporis ferè exhauritur, tum quidem (ut ſemel atque iterum diximus) in debilitatem magis adhuc ea ruunt.

Utrum verò debilitatis cauſa, an effectus ſit alvi tarditas, iiſdem hæc excipitur malis. Fæces enim duræ atque cumulatæ inteſtina diſtendunt, ad motus abnormes demùm incitant irritantque. Ad eos, cùm maximâ ob actionis defectum debilitate afficiantur, proclivia admodùm ſunt. Quemadmodum etiam *ſyſtema hepaticum*, cùm tertia quoque cauſa adeſt, debilitate æquè ac inteſtina laborat, in eòſdem pariter motus convulſi-

vos hepatis vaſa corruunt. Adauctâ ſic mirum in modum bilis ſecretione, inteſtina magis magiſque irritantur, eorumque motu inverſo in ſtomachum quoque plurimum fellis impellitur. Hinc dejectiones, vomituſque bilioſi, ſurarum ſpaſmata ac aliorum corporis (cujus jam totius vis nervoſa penè exhauritur) muſculorum contractiones abnormes manifeſtè exoriuntur.

Si alvi duritiei, atque tertiæ debilitatis cauſæ peculiaris etiam conſtitutio ſuperiùs memorata adjiciatur, choleræ phænomena faciliùs adhuc intelliguntur.

Sed à conjunctione ſecundæ hujus cauſæ tantùm cum tertia, hæc procul dubio frequenter proveniunt, etiamſi alvum tardiorem ſolito fuiſſe dici non poſſit. Tanta enim inteſtinorum debilitas, ſeu mobilitas eſſe videtur, ut quod naturaliter, et alioquin innocuè iis contineri ſolet, motus eorum vaſorumque hepatis convulſivos excitare modò ſufficiat.

Deinde, ex omnium, qui de morbo hoc ſcripſere, obſervationibus conſtat, quòd, ſi fervente cælo, aër *ſubitò* pluviâ vel alio modo frigeſcat, maximè

maximè tunc temporis plerumque inſæviat.* Duplex hoc conſequitur effectus. Vaſa enim corporis ſuperficiei extrema, quæ nimium calore excitabantur (qui ſtimulus, ut ad ſanum ea reſtituerentur ſtatum, *gradatim* minui debebat,) in contractiones præternaturales, ac, ut quibuſdam forſan placeret, ſpaſmodicas, ob magnam repentini frigoris debilitantem vim, abeunt.† Fluida ſic

* Eques Joannes Pringle hujus quoque rei mentionem facit in libro ſuo de morbis exercitûs, ad pag. 8, 10, et alibi.

† Ingenuè hic confitebor, argumenta eorum futilia mihi videri, qui Cullenum affirmantem, ſpaſmum nonnunquam *atoniam*, vel, aliis verbis, debilitatem ſequi, derident ac ſibilant. Ne omnia hucuſque dicta, quibus id fieri poſſe probatur, repetamus; nonne quotidiè ſpaſmum ventriculi in dyſpepticis, ac in hyſtericis unà cum convulſionibus ductûs alimentarii ſpaſmum obſervamus? Nonne millia hujuſmodi exempla cunctis medicinam exercentibus innoteſcunt? Quid ad rem, ſi debilitas nunquam ſpaſmo non excipitur? Indè tantùm rectè inferri poteſt, alia etiam, nobis parùm cognita, ad hunc producendum concurrere

ſic *improviſò* ad inteſtina, quæ jam infirma ſunt, repulſa nimiùm ea ſtimulant, ac omnia, ſecundùm eandem legem, morbi hujus ſymptomata producunt.

Poſtremò, nonnunquam certè evenit, in plagis præcipuè calidiſſimis, æſtate vel autumno homines cholerâ plecti, licèt nec alvus iis tardior ſolito, nec debilis inteſtinorum conſtitutio ſit, nec calor aëris repentè minutus fuerit, nec ullus ad inteſtina ſtimulus inſuetus admoveatur. Hoc mihi, inquam, probabiliùs explicare nos nequire videtur, quam hypotheſi, tantam eſſe, nimis calore ſtimulante, per cæterum corpus energiæ nervoſæ exhauſtionem ſeu conſumptionem (ſi ita loqui mihi liceat,) ut a cerebro non ſatis hujus ad inteſtina derivetur. Sic æque irritabilia pro tempore, pariterque ad actionem violentam proclivia evadunt, perindè ac ſi à naturali conſtitutione infirma fuerint. Mobilitatem inteſtinorum, etiam ab

currere debere; vel etiam plurimos eſſe debilitatis gradus, ſed ab uno quodam ſolummodo ſpaſmum pendere. Dum hæc autem obiter dico, Culleni theoriam, tot ambagibus involutam nequaquam propugnare vellem.

ab hac ſola provenientem cauſa, cur *debilitatem* potiùs *ex defectu actionis*, quàm aliis nominibus appellare mallem, rationem jam ſuperiùs reddidi.

Quæ cum ita ſint, morbi hujus cauſam *prædisponentem* opinor *debilitatem* eſſe inteſtinorum atque ſyſtematis hepatici *ex defectu actionis* (à quocunque hic oriatur fonte,) unà cum debilitate cæteri corporis ex nimia actione ſeu nimio caloris ſtimulo conjunctam. Ita verùm ſe habente corpore, cauſam *excitantem quamlibet*, omnino eſſe materiam quæ nimium inteſtina ſtimulat vel irritat, exiſtimo.

De cauſa *proxima* nihil prorſus dico. Hanc enim morborum *cauſam* cum morbis ipſis perquam abſurdè medicos pleroſque confundere videtur. Inſtar omnium ſit ipſe inclytus eximiuſque Cullenus. Colicam exempli gratiâ, definiens, inter cætera vomitum enumerat *: ac de eodem morbo tractans, cauſam hujus proximam eſſe inteſtinorum partis conſtrictionem aſſerit †. Jam verò medico cuivis paulò attentiùs rem perſpicienti

* Syn. Nos. Met. edit. 6to, tom. 2. p. 233.

† Firſt lines, &c. vol. 4. p. 21.

cienti patebit, ambo colicæ ſymptomata eſſe, atque inteſtinorum conſtrictionem æquè ac vomitum morbi hujus partem conſtituere. Hic ventriculi, illa inteſtinorum actio eſt abnormis. Quis autem tiro logicæ tam imperitus, *cauſam* morbi ejuſdem morbi ſymptomati cuidam, vel aliis verbis, morbi ipſius parti tribuere, ridiculum eſſe non videt? Niſi id me ab hoc vocabulo utendo omnino prohiberet, choleræ cauſam *proximam*, inteſtinorum vaſorumque hepaticorum motum convulſivum eſſe dicerem.

Quæret nunc forſan aliquis, an bilem in cholera acriorem ſolito evadere, omninò denegemus? Minimè quidem. Si tamen aliquam mutationem bilis reverà ſubeat, hanc a nervoſi ſyſtematis affectione primitùs ortum ducere contendo. Nemini ignotum eſt, quantùm ſecretorum fluidorum natura ab excitationis gradu vaſorum glandium ſecernentium pendeat. Ex mille benè cognitis, unum ſat erit exemplum proferre. Interdùm accidit (teſtante egregio in alma hac Academia Artis obſtetriciæ Profeſſore,*) ſi nutrix alioquin optima irâ fortè ſubitâ corripiatur, lactis

ita

* Hamilton. Prælect. Art, obſtet.

ita vitiari secretionem, ut infans id à mamma ore trahens convulsionibus afficiatur.

Deinde autem nullo unquam firmo argumento, nullâque, quantùm scio, analysi chemicà, cui fides ulla præstanda, adhuc probatum est, bilis reipsa naturam, morbo jam ingruente, permutari. E contrà, variis jam experimentis in animalium corpora institutis, jure celeberrimus Monro ostendit,* (quod sanè plurima morborum phænomena confirmant,) bilem haud insolitâ præditam acrimonià, dummodo in ventriculum ac intestina magnâ copià fundatur, motus eorum præternaturales excitare sufficere. Incerti saltem itaque sumus, an bilis in cholera incipiente tantummodò acrior præter solitum sit. Si talis verò unquam sit, à nervosa id affectione provenire, à motu nempè convulsivo, vel peculiari vasorum, hepatis secernentium actione, ideoque morbi effectum solùm esse, ac propterea, licèt morbum qui jam existet, augeat, causam tamen ipsius morbi rectè dicendam non esse, arbitramur. Re quidem vera, postquam aliquandiu morbus jam sævierit,

* Aud. Prælect.

sævierit, probabile est, bilis naturam ex nimis rapida ejus secretione interdùm mutari. Causæ huic evidentissimè referenda est insignis naturæ suæ commutatio, quam in morbo hoc Saunders observavit, quamque huic profectò ingeniosus iste medicus ascribit.*

Talis igitur mihi causa morbi hujus calidâ orti tempestate esse videtur. Medici hunc choleram *spontaneam* appellant. Fieri autem quandoque potest (quod morbi naturæ conspectui jam exhibito haud repugnat, imò consentaneum est), quolibet alio anni tempore, dùm corporis vires calore non exhauriuntur, ac dùm intestina debilitate minimè laborant, tantum his stimulum admoveri, ut motus eorum, ac per *sympathiam* vasorum etiam hepaticorum violentos excitet, proindéque choleram producere valeat. Morbo huic, ejusdem certè naturæ ac alter, quamvis à diversa causa (acribus nimirùm ingestis) ortum trahenti, choleræ *accidentalis* nomen scriptores indidere.

Sæpius

† Saunders on the liver. p. 148. et 180.

Sæpius verùm contigit, inteſtina quàvis anni tempeſtate tam infirma eſſe, licet cæteri corporis vires ſint integræ, ut eædem cauſæ excitantes choleram æquè gignere ſufficiant, perindè ac in morbo huic obnoxiis calidiſſimo ſolent tempore. Choleram huc refero, quâ infantes, gravidæque mulieres haud rarò laborant. Harum inteſtina maximè interdum debilia ſunt ab alvi aſtrictione, quâ ſæpe poſtquam uterus magnam acquirit molem, afficiuntur. Illorum autem quanta ſit inteſtinis debilitas, quæ paulatim vitæ progreſſu actione eorum muſculari minuitur, neminem latere poteſt.

Exinde profectò patet, juvenes magis morbo huic obnoxios eſſe, *cæteris paribus*, quam ſenes, licèt nec ii, ſi antea dictam potiſſimùm à naturâ conſtitutionem acceperint, immunes ſemper ab illo evadunt.

Vix quidem dicere hîc opus eſt, fundamento Sydenhamii ſententiam carere, choleram ſpontaneam nunquam ferè niſi Auguſti menſe homines invadere. † Inter alios contrarium huic nobis

† Vid. loc. ant. cit.

prodentes, Wintringham * et Huxham ‡ morbum hunc, se testantibus, sæpe initio Julii, pariterque mense Septembris apparuisse certiores nos faciunt. Pater meus annum ætatis suæ ferè sexagesimum agens, sub initium mensis Junii illo necatus est. Luculenter ergo constat, quòd pro varia singulis annis tempestate, citiùs tardiúsve ad illum opportunos corripiat.

Secundum omnia, quæ antehac dicta sunt, facilè quidem modo longè probabiliori, quàm ad ignotas aëris dotes, vel sanguinis aut bilis nunquam in hoc morbo compertam putredinem recurrendo, nos explicare posse arbitror, cur tam sæpe Augusti mense homines cholerâ afficiantur. Maximè enim tùm temporis vis nervosa totius ferè corporis præterito æstivo calore exhauritur, magnæque simul ac *repentinae* aëris temperiei vicissitudines frequenter admodum sentiuntur.

Nequaquam dubitandum esse videtur, *diarrhoeam biliosam*, quæ hominibus tam crebrò fervidis anni

* Comment. nosol. in morb. epidem. edit. Lond. 1723. p. 275.

‡ De Aëre et morb. epidem.

anni mensibus infesta est, ejusdem prorsus naturæ esse ac cholera, iisdemque à causis nasci. Pauci admodùm vel nemo forsitan huic proclivis est, qui illa quandoque (me meisque, inter cæteros, testibus) haud vexatur. Illa valdè mitior est hâc, multóque minus periculosa. Aliud inter istas discrimen ponere, non video sanè quid in praxi utilitatis medico afferre possit.

Ob hanc rationem, nihil omninò de choleræ *diagnosi* dicere in animo mihi est, quoniam alio quovis cum morbo vix ullus esse potest medicus tam ignarus, qui hunc confundat.

Maximum verò inter dysenteriam quoque ac choleram nexum intercedere, facilè quisquis naturæ investigator concedet. Prior enim eos sæpe adoritur, quos corporis constitutio ad alteram opportunos reddit: optiméque porrò medicis notum est, illam in hanc nonnunquam converti. Ipse semel dysenteriâ torquebar, aliosque pariter choleræ obnoxios cognosco, qui illa eodem etiam anni tempore, verno scilicet, quo cùm corporis vires integræ, tùm intestinorum congenita debilitas minima plerumque videtur, laborârunt.

Quare

Quare, cùm hæc aliaque probabilia argumenta id muniant, haud nefas ſit obiter conjicere, morbum hunc ab inferiori quam cholera inteſtinorum debilitatis gradu, utrum à contagio vel alia naſcatur cauſa, plurimùm vel omninò pendere.

DE PROPHYLAXI.

Tot inter auctores qui de morbo hoc ſcripſerunt, neminem (quorum ego ſaltem ſcripta perlegi) de modo hunc avertendi aliquid tradere, haud ſatis quidem mirandum eſſe duco. Morborum enim omnium quibus miſeri mortales plecti ſolent, vix ab ullo faciliùs quàm cholera preſervari eos poſſe, felice docente experientiâ, aſſerere non hæreo. *Prophylaxis*, quam, ut hoc effici poſſit, proſequi debemus, ſimpliciſſima profectò eſt; cúmque in præcavendo ab iis conſiſtat, quas ſuperiùs morbi hujus cauſas eſſe opinati ſumus, firmius quidem argumentum nullum adduci poſſe exiſtimo, ut tales reipſa eas eſſe oſtendatur. Nihil enim in medicina rectiùs, quàm (et vice verſâ) theoriam aliquam, quæ nullam utilitatem

practicam

practicam secum fert, nec morborum phænomena facilè explicat, penitus esse contemnendam.—Quod ad rem nostram igitur attinet, primùm à debilitate intestinorum ex defectu actionis attentè præcavere debemus. Hoc præcipuè fit naturalem eorum actionem muscularem perennè promovendo. Tanti sanè momenti regula hæc est, ut nihil magis. Calidà autem anni tempestate, nunquam diem unum elabi choleræ obnoxii sinere debent, quin alvus semel (ac in quibusdam forsan bis) laxetur. Ita, atque ita solùm, intestinorum proclivitas in motus statim abnormes post minimos his admotos stimulos abeundi paulatim tollere possumus. Id æquè verum est, à quacunque trium causarum de quibus antea locuti sumus, mobilitas vel debilitas eorum oriatur. Atque hoc planè demonstrat, quod suprà innuimus, cùm intestinorum mobilitatem congenitam, tùm eam quam plurimi fervidis anni mensibus patiuntur, licèt alvus tardior præter solitum non fuerit, *debilitatem* esse reverà *ex defectu actionis*. Dixi *praeter solitum*: certè enim scio, si aliquis cui talem natura dederit intestinorum debilem con-

constitutionem, constanter per totum anni decursum curet fæces semel in die evacuari, ita hanc correctam tandem fore ut eædem causæ excitantes minimè contractiones eorum abnormes (ut antea) produxerint. Id initio obtineri victu paulò laxanti, lenibusque nonnunquam, si opus sit, ejusdem naturæ medicamentis utendo, potest. Hæc autem nunquam nisi res postulaverit, adhibenda, post habitum semel inductum inutilia evadunt, imò damnum afferre possunt.

Ne cæterum corpus deinde in debilitatem ruat, ex nimia actione vel nimio caloris stimulo, quam simul cum aliis duabus causis vel alterutra in eam intestinorum ac systematis hepatici debilitatem producendo, quæ tam magnoperè ad choleram prædisponit, plerumque concurrere; vel quam solam nonnunquam eam gignere sufficere superiùs diximus, strenuò providendum est. Hoc assequi possumus cavendo, quantùm fieri potest (non omnes enim penes est huic regulæ obtemperare) ne admodùm defatigemur, aut nimis fervido soli nosmet exponamus; et præsertim lavatione frigida (in mari forsan melius esset), quod

quod profectò omnibus dignum commendationibus remedium eſſe arbitror. Vires enim calore ferè exhauſtas hæc reficit, corpori denuò agilitatem, animoque hilaritatem reſtituit. Vis etiam nervoſa ſuperficiei parùm ſic conſumpta, a cerebro plus inteſtina modo accipiunt, eorumque idcirco robur augetur.

Deniquè evidens cuique eſt, quodcunque in debili inteſtinorum conditione ea nimiùm excitare vel irritare poſſit, *cane pejus et angue* devitandum eſſe. Ineptum prorſus eſſet acria hujuſmodi hîc enumerare, cùm numerus eorum, quæ regnum animale, vegatabile ac minerale nobis ſuppeditat, infinitus ferè ſit. Nimia ventriculi repletio ob eandem rationem cautè fugienda: nunquam enim citiùs voracitatis vel ebrietatis pœnæ perſolvuntur. Summi autem momenti in prophylaxi eſt, victum calidiſſimis anni menſibus vegetabilem magis eſſe quam animalem ac præſertim pinguem. Re quidem verâ, dum inteſtina hoc tempore ita debilia ſunt, quantùm victus ex rebus adipoſis vel ſebaceis præcipuè conflatus diarrhœam bilioſam et quandoque choleram provocent, præ oculis

ſemper

ſemper habendum. Quin ad hoc producendum vis ſtimulans quâ materiæ hæ præditæ ſunt ſola ſufficiat, nil prorſus dubito: et hanc iſtarum putredine et acrimoniâ, citò nunc ob defectum juſtæ in ventriculo ac inteſtinis debilitate laborantibus concoctionis inducta, interdum augeri credo.

Fieri autem nonnunquam forſitan poteſt licèt rariſſimè (plerumque enim nec locus hoc ſuſpicandi adeſt) carnibus adipoſis immodicè veſcendo, ſanguinem ita principiis iſtis ex quibus bilis conficitur tandem abundare, ut copioſiùs juſto hæc jecore ſecernatur, ideóque nimium inteſtina ſtimulet. Pulcherrima enim experimenta mirabilis Lavoiſierii, Chemiæ facile Principis, materias omnes oleoſas ac præſertim animales ex *hydrogenio* et *carbonio* potiſſimùm conſtare demonſtrant. Porrò, clariſſimorum qui in Gallia florent chemicorum ſententia eſt, ſuperfluum ſanguinis hydrogenium per hepar præcipuè ex corpore evadere. Bilis autem analyſin, utpote ab his aliiſque diligenter perfectam, ex quâ inter cætera apparet, partem hujus reſinoſam vel oleoſam ex hydroge-

nio

nio et carbonio maximè conflari, hîc referre longum nimis, et parum utile esse opinor.*

Sed hîc subjungere vellem, concesso etiam (quod theoria tantùm niti fatendum est) bilis fluxum à supradicta causa ortum nonnunquam ducere, minimè tamen id, quod choleræ causam esse propugnavimus, hoc subvertere. Etenim, cùm hic bilis paulò copiosior solito fluxus choleram nunquam nisi calidâ tempestate procreat, rectè quidem inferri, me judice, potest, hanc à maxima intestinorum ac systematis hepatici debilitate præcipuè tunc pendere. Ad summum igitur dici potest, fluxum illum bilis intestina jam debilia et per sympathiam vasa hepatica ad motus abnormes ac violentes excitare, et hoc modò majorem semper copiosissimamque hujus secretionem provocare. Atqui, ex jam dictis *quodlibet* acre, imò naturalia intestinorum contenta idem sæpè præstant. Nostra, denique, hæc opinio est, choleram morbum non à bilis vel fluidorum acrimo-

* Vid. Ramsay Diss. Inaug. de Bile; in Thesaur. Med, tom. 2. p. 459—Saunders on the Liver—atque Opera chemica Fourcroy, Chaptal &c,

nia, non ab ignotis aëris dotibus, sed à vasorum hepatis, ac intestinorum, cæterique corporis debilitate primitùs ac præcipuè nasci: postquam verò hæc *prædisponens* causa extiterit, *infinitum* ferè causarum *excitantium* numerum esse posse.

In morbo huic occurrendo, præter victum vegetabilem, acida etiam, ac potissimùm vegetabilia, ut citricum, acetosum, et alià quæ longè copiosiùs quàm mineralia adhiberi possunt, atque liquores acescentes, putà cerevisia tenuis, quæ acido carbonico stomacho gratissimo abundat, quæque porrò alvum laxat, eximiæ sunt utilitatis. Intestina enim leniter stimulant, adeóque obstant ne à debilitate ex defectu actionis in motus abnormes ea incidant, superficiem nimis calore excitatam refrigerant, ejusque vis nervosæ exhaustionem sic impediunt, ac postremò prodesse forsitan quandoque possunt *oxygenium* sanguini impertiendo, qui non amplius propterea bilis principiis nimium abundabit.

Exposito jam vitæ regimini studiosè adhærendo, persuasissimum habeo, quod homines perquam raro cholera aggrederetur; ac si nonnunquam eos afficeret

afficeret, longè faltem mitior effet. Ipfe, inter alia fimilia mihi nota exempla, diarrhœa biliofa quotannìs plus minufve calidà tempeftate vexabar; poftquam verò regulas hafce prophylacticas fecutus fum, nunquam per biennium jam, licèt proxima præter folitum fervida æftas fuerit, me revifit.

Infantum choleræ efficaciter obviam fit, videndo alvum eorum folutam femper effe, quo inteftinorum imbecillitas plurimùm corrigitur.

Idem de cholera mulierum gravidarum alvi aftrictioni evidenter afcribenda, dicendum venit.

Poftquam verò morbus hic aliquem jam corripuit, medici tunc eft omnia, quæ ad huic medendum juvarent, ægroto præfcribere.

DE CURATIONE.

Duo mihi idoneum videtur choleræ ftadia diftinguere, ex quibus diverfæ *indicationes* (ut ajunt medici) deducendæ funt, quæque remedia utrique aptata requirunt. Primum, fcilicet, quo ægroti vires, etfi vomitus ac dejectiones biliofæ eum valdè urgeant, parùm adhuc franguntur. Alterum, quo vis nervofa totius corporis penitus

ferè

ferè exhauritur, et vultûs pallor, furarum fpafmata, aliaque fymptomata mortem minantur. In illo confilium noftrum, morbi hujus natura perpenfa, debet effe, nimiam inteftinorum excitationem, motufque abnormes minuere: in hoc autem, vim vel energiam nervofam labefactatam modis omnibus fuftentare.

Inter medicos omnes ad unum convenit, bilis dilutionem haud parùm ad prius efficiendum conferre. Magna enim ac infolita bilis copia inteftina, quæ debilitate graviter laborârunt, nimis modò ftimulat, morbumque auget. Unicuique verò compertum eft, ftimulantem bilis vim hanc diluendo minui, proindéque inteftinorum excitationem reprimi.

Nihilominus, me cuncta diluentia *tepida* ab omnibus ferè auctoribus commendata, et medicis plerumque adhibita, raró unquam in ftadio hoc præbenda, fed præfertim aquam tepidam prorfus explodendam effe arbitrari fateor. Caloris enim ftimulo inteftinorum nimiam excitationem augere poffunt, aut faltem non eam deprimunt, quantùm oporteret, vel quantùm etiam

revera

revera deprimerent, nifi profperis eorum effectibus quà diluentia, eorum temperies adverfaretur. Sed aliam quoque ob rationem aqua tepida pura rejicienda. Quantùm enim naufeans hæc fit, nemò qui unquam eam largè ebibit, ignorare poteft: adeóque hæc minus etiam quam alia hujufmodi diluentia ad motui ventriculi ac inteftinorum præternaturali occurrendum idonea videtur *. Quid verò de veteribus quibufdam et nonnullis etiam inter medicos pofteriores, quibus mos erat, emetica et cathartica adminiftrare, dicemus? Nihil fanè abfurdius effe potuit, nec fapientius egerunt dyfpepticis, qui pertinaciter emeticis utuntur, ut ventriculum pituitâ exonerent, dum reipfa tamen à vomitu tam fæpè iterato malum hoc indies ingravefcit. Inteftina et fyftema hepaticum nimis in cholera excitantur; licèt ergò emeticis ac catharticis bilis, quæ in illis jam continetur, evacuari poffit, excitationem tamen augendo majorem adhuc hujus fecretionem provocabunt,

* Poftquam hæc omnia jam exfcripferam, Dom. Dummett etiam aquæ tepidæ ufum, in thefi fua Inaug. de Cholera improbare, comperire gavifus fum.

provocabunt, morbusque idcirco crescet ac protrahetur. Porrò, bilis redundans ita sinè ope externa intestina necessariè stimulat, ut hanc parum diu illic manere sinant. Sed non opus est verbis; experientia enim sagacissimi Sydenhamii, plurimorumque nostrorum temporum medicorum, quam perniciosa hujusmodi fuerint medicamenta, satis superque jamdudum ostendit.

Aliquis hîc forsan nobis objiciet, plurimos ex hoc morbo convalescere, licèt tepidis diluentibus, quæ in primo stadio rejicienda esse putamus, utantur. Quamvis hoc verum sit, ac me ipsum id testatum fuisse fateor, indè tamen minimè inferre debemus, nullo alio medendi modo longè citius faciliusque ægros salutem recuperaturos fuisse.

Talem reipsa nobis adesse modum opinor. Primò enim, statim pòst morbi aggressionem, potiones *frigidae* ægroto porrigendæ sunt. Gratissimæ huic illæ evadunt, ac nimiam intestinorum et systematis hepatici excitationem minuunt, quod præcipuè hoc in stadio desideratur. Porrò dum hosce felicissimos præstant effectus, bilem

quoque

quoque obtundunt, quæ minus ſtimulans idcirco fit.

Has potiùs quàm tepidas potiones morbi natura ſicuti ſuperiùs explicata propinare nos ſuaderet. Sed earum eximiam utilitatem complurium medicorum experientia comprobavit. Inter antiquiores Cælius Aurelianus,* ex. causâ, et Aretæus Cappadox † haſce ſtrenuè commendàrunt: ac optimam ſanè rationem hic attulit "*ut* "*ſtomachus*, nempè, *ardens refrigeretur.*" His poſterior Hoffmannus eas laudibus effert: ac noſtris temporibus Hiſpaniæ medici, qui in morbo hoc plurimùm quidem verſentur neceſſe eſt, et quorum ideo auctoritas multum apud nos valere debet, cæteris omnibus remediis has anteponunt.

Hauſtus frigidi ex aqua pura fontis conſtare poſſunt, vel hanc potiùs cùm acido quodam minerali aut vegetabili, ita ut gratè aceſcat, commiſcere utiliùs mihi videretur. Non modò hæc gratior ſic guſtui eſt, ſed melius etiam ventriculi motui

* De curat. morb. acut. lib. 2. cap. 4.

† De morb. acut lib. 3. cap. 21.

motui abnormi occurrit. Ut adhuc autem efficaciùs a bile inteſtina tueamur, ſimul cum hac potione, liquor quivis mucilaginoſus pariter frigidus, ex. gr. ptiſinarium, ſolutio gummi arabici, infuſum lini, vel decoctum altheæ, abſorbendus eſt.

Sed lavationem etiam frigidam externæ corporis ſuperficiei, quamquam hujus nondum invaluit uſus, præſtantiſſimum ſæpè eſſe in primo ſtadio, cùm morbus parum adhuc eſt progreſſus, remedium mihi videtur: Non theoriâ tantùm, ſed ſimilitudine quoque inter choleram ac diarrhœam bilioſam calidâ tempeſtate ortam exiſtente, hæc nititur opinio. Sæpe enim id teſtatus ſum, ipſeque haud ita pridem periculum bis feci, cujus felix ſanè ultra ſpem fuit eventus, cùm ſtatim ferè iſti affectioni remedium hoc finem impoſuerit. Æquum igitur eſſe concludere opinor, quod in cholera eoſdem effectus produceret. Totum nempè corpus reficeret, vaſis ſuperficiei tonum reſtitueret, atque hoc modò perſpirationem promovendo et fluida cutem verſùs dirigendo, inteſtinorum excitationem immodicam reprimeret.

Nemo

Nemo ſcientiâ medicâ vel leviter imbutus mirabitur, lavationem frigidam ſimul cum frigidis potionibus choleræ mederi poſſe, quamvis in cauſa morbi hujus frigus corpori admotum (ut cùm vulgo loquamur) ſæpenumerò ſit. Hîc enim nimis diuturnum frigus cæterum corpus (ſicut antea de cauſis loquentes diximus) debilitat, dum è contrà ad breviſſimum ſolummodo tempus huic admotum ſuperficiem paulo antè nimio caloris ſtimulo exhauſtam roborat, ſyſtema quaſi concutit, ac, ut ita loquar, juſtæ per hoc vis nervoſæ diſtributioni ſavet.

Mira ſæpè hujus remedii utilitas in febribus fugandis, à nullo meliùs quàm Currie optimè de medicina merito, oſtenditur: ac haud abſimili forſan modo in diarrhœa bilioſa vel cholera vim ſuam exercet. "Conſidering, *inquit ille*, the "general adoption of cold drink in the ardent "fever of the ancients, its ſucceſs in the Hunga-"rian fever, to which the *yellow* fever bears "ſuch analogy, and the pointed recommenda-"tion it has received from Hoffman in *bilious* "*vomitings* and dyſentery, it appears rather ex-

"traordinary, that it has not hitherto been re-
"sorted to in the diseases of the West Indies."*

Sed hic probè notandum, non semper lavationem frigidam tutum esse in cholera remedium. Cautissimum enim medicum esse oportet, nè morbus nimium sit progressus, vel aliter ægri vires plurimùm exhauriantur: Quoniam in hac rerum conditione periculosissima debilitatis symptomata remedii hujus usum proculdubiò sequerentur.

Non deerit fortasse aliquis, qui tepidas frigidis potionibus anteponendas esse contendet, cùm illæ paulo facilius his bilem in ventriculo diluere possint. Huic primùm responderem, hoc magis superque beneficiis jam expositis ab horum usu provenientibus compensari. Sed præterea, cùm maximus sit ad hepar ac intestina, quæ in cholera lethali vel vehementi inflammantur, sanguinis fluxus, proindéque cùm calor ita in ventriculo augeatur, ut ægroto dolorem afferat; potiones frigidæ statim ferè hoc calore, vel potius, ut cum

* Medical reports on the effects of water cold and warm, &c. p. 170. By Jas. Currie, M.D.

cum recentioribus chemicis loquamur, *calorico* accumulato tepefiunt, ac melius ſic cum bile commiſcentur: dum interim ſyſtematis hepatici ac ventriculi excitatio, calorque haud parum imminuitur. Quamquam ad venæſectionem nonnunquam recurrendum eſſe Saunders affirmet†, nullà tamen proprià nec alienà experientià firmatam eſſe ſuam ſententiam videtur. Etenim, quam periculoſum eſſet in morbo quo vires vitæ tam citò exhauriuntur, remediorum omnium debilitantium potentiſſimum adhibere, nemo non videt. Porrò, cum ſanguinis copiam ad venam portarum tranſmiſſi, ex quo præcipuè ſaltem bilis ſecernitur, *directè* minuere nequeamus, detractio hujus è brachio vel alia quadam parte, cæterum corpus priùs atque plus quam hepar afficeret. Ad ſummum igitur nil ab hoc remedio ſperari poſſet quoad ſyſtematis hepatici excitationem reprimendam, donec cæteri corporis debilitas periculoſiſſima induceretur.—Quandocunque ſymptomata inflammationem denotantia ſeſe morbi initio produnt, tùm ad lava-

vationem

† Lib. ant. cit. p. 149

vationem frigidam, venæsectionis vice, statim decurrendum est.

Multùm certè opportunius remedium eodem in loco Saunders proponit, vesicatorium nempè abdomini applicatum. Equidem, si lavatio ac potiones frigidæ, quamvis liberè adhibitæ, morbi progressum cohibere non valeant, haud parum id utilitatis afferre posse opinor.

Dum ita verùm res sunt, sine morâ medicamenta *narcotica* dicta, quorum opium præcipuum est, largè præbere debemus: sicut Sydenhamius aliique plurimi medici præstantissimi solicitè nos monent. Hæc vi quâdam *peculiari* motus hujusmodi præternaturales sedandi gaudere, plerique medici docent.—Utcunque hoc sit, modi quo in corpora animalia agunt explicationem moliri, etiam si operi tam arduo ingenium (quod sentio quam sit exiguum) par esset animusque ferret, à re nostra alienum prorsus esset. Sub enematis forma, si necesse, opium administrari debet.

An hyosciamus, qui alvum leniter solvit aptum sit remedium incertus sum, cùm medicum ullum hoc in cholera usum fuisse invenire nequeam.

Quod

Quod si omnibus hisce remediis morbus parùm cedat, vires tandem aliquando exhauriuntur, extremamque debilitatem sudor gelidus ac glutinosus, surarum spasmata, pulsus arteriarum fluctuans, aliaque hujusmodi signa denotant.—Ut in hoc secundo stadio energia nervosa sustentari possit, medicamenta imprimis stimulantia et cardiaca liberrimè utenda sunt. Horum inter optima vinum meritò recensetur. Sin hoc autem non modò frigidum sed nec calidum (quod usitatiùs est) stomachus ferre nequeat, ad tincturam aromaticam, sp. lavend. compositum, sp. sal. aromaticum, aliaque similia, prout huic gratiora sunt, confugere debemus. Sæpe quidem hic adeò irritabilis evadit, ut omnia ferè illico rejiciat.

Ad vomitum compescendum medicamenta præsentiora nulla inveniuntur, quàm magnæ ac subindè repetitæ opii doses, vel mixtura salina, simul cum fomentis ex aqua calida, aut quod melius forsan est, ex Laud. liquido ac sp. sal. arom. ad scrobiculum cordis et abdomen applicatis. Mirè quoque totius corporis in balneo calido

calido immersio ad idem confert, gratèque simùl systema stimulat.

Radicem colombæ hîc Percival Mancuniensis ad astra evehit. Sed tantas hoc medicamentum non merere laudes videretur, cùm plerique medici haud multùm nunc temporis isti fidant.

Quod secundum fuerit stadium morbi, in quo remedia hæc tam utilia Chirurgus Dick expertus est, ex hoc patet, quia nunquam ea, donec spasmata jam supervenerint, exhibuit.*

Dum ista verùm perhibemus, ad ægrum magis refocillandum, enemata ex jusculis calidis valdè nutrientibus, in quibus scilicet plurimum *gelaten animale* dissolvitur, administranda sunt. Sed ut hæc meliùs seu diutiùs retineantur, cum iis tincturæ opii doses idoneæ commisceantur necesse est.

Omnem corporis motum quantùm fieri potest, ne spasmata ac convulsiones provocentur, ægrum cavere, prudenter Sydenhamius præcipit.

Ægro convalescente, nunquam satis ferè causas morbi excitantes vitare potest. Quò intestinorum

† Medical Commentaries, vol. 10. p. 212.

rum maxima ad motus abnormes proclivitas, quæ diù fæpè poft devictum morbum manet, corrigatur, eorumque quò vires redintegrentur, opio pro re nata utendum, regulæ prophylacticæ ante oculos habendæ funt, et corticem Peruvianum, præparata ex ferro, aliaque remedia *tonica* adhibere oportet.

Hæc modò de Cholera fatis dicta fint. De morbo hoc, in quem rationibus præcipuè initio expofitis cogitationes meæ converfæ fuerunt, fcribendo id conabar, quod fecundùm præclariffimæ hujus Academiæ leges, mihi folum perficiendum fupererat.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.